

THE COLLEGES OF OXFORD UNIVERSITY

Entrance Examination in Classics

and

Entrance Examination in Modern Languages

LATIN TRANSLATION

Thursday, 17th November. Afternoon 1994

3 Hours

The following passages, for translation into English, are arranged in ascending order of difficulty.

(a) Unrest among the Helvetii before Caesar's arrival in Gaul

Apud Helvetios longe nobilissimus fuit et ditissimus Orgetorix. is M. Messala M. Pisone consulibus regni cupiditate inductus coniurationem nobilitatis fecit et civitati persuasit, ut de finibus suis cum omnibus copiis exirent: perfacile esse, cum virtute omnibus praestarent, totius Galliae imperio potiri. id hoc facilius iis persuasit, quod undique loci natura Helvetii continentur: una ex parte flumine Rheno latissimo atque altissimo, qui agrum Helvetium a Germanis dividit, altera ex parte monte Iura altissimo, qui est inter Sequanos et Helvetios, tertia lacu Lemanno et flumine Rhodano, qui provinciam nostram ab Helvetiis dividit. his rebus siebat ut et minus late vagarentur et minus facile finitimis bellum inferre possent; qua ex parte homines bellandi cupidi magno dolore adficiebantur. pro multitudine autem hominum et pro gloria belli atque fortitudinis angustos se fines habere arbitrabantur, qui in longitudinem milia passuum CCXL in latitudinem CLXXX patebant.

CAESAR, *de bello Gallico* i.2

Rhenus	the Rhine
Iura	the Jura
lacus Lemannus	the lake of Geneva
Rhodanus	the Rhone

TURN OVER

- (b) How can an unhappy exile be expected to write poetry?

Scribis, ut oblectem studio lacrimabile tempus,
 ne pereant turpi pectora nostra situ.
 difficile est quod, amice, mones, quia carmina laetum
 sunt opus, et pacem mentis habere volunt.
 nostra per adversas agitur fortuna procellas,
 sorte nec ulla mea tristior esse potest.
 exigis ut Priamus natorum funere plaudat,
 et Niobe festos ducat ut orba choros.
 luctibus an studio videor debere teneri,
 solus in extremos iussus abire Getas?
 des licet in valido pectus mihi robore fultum,
 fama refert Anyi quale fuisse reo,
 fracta cadet tantae sapientia mole ruinae:
 plus valet humanis viribus ira dei.
 ille senex, dictus sapiens ab Apolline, nullum
 scribere in hoc casu sustinuissest opus.
ut veniant patriae, veniant oblivia vestri,
 omnis ut amissi sensus abesse queat,
 at timor officio fungi vetat ipse quietum:
 cinctus ab innumero me tenet hostile locus.

OVID, *Tristia* v.12.1-20

oblecto	I make cheerful
situs, (gen. sitūs)	disuse, idleness
orbus	bereaved
fultus, perf. partic. pass. of fulcio	I prop up, reinforce
Anyi reus	the man prosecuted by Anytus
ut (17 and 18)	even supposing that

(c) The rewards of philosophy

Quae nobis dies noctesque considerantibus acuentibusque intellegentiam, quae est mentis acies, carentibusque, ne quando illa hebescat, id est in philosophia viventibus, magna spes est aut, si hoc, quo sentimus et sapimus, mortale et caducum est, iucundum nobis perfunctis muneribus humanis occasum neque molestam extinctionem et quasi quietem vitae fore aut, si, ut antiquis philosophis, iisque maximis longeque clarissimis, placuit, aeternos animos ac divinos habemus, sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in suo cursu, id est in ratione et investigandi cupiditate, et quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum vitiis et erroribus, hoc iis faciliorem adscensum et redditum in caelum fore.

Quapropter, ut aliquando terminetur oratio, si aut extingui tranquille volumus, cum in his artibus vixerimus, aut si ex hac in aliam haud paulo meliorem domum sine mora demigrare, in his studiis nobis omnis opera et cura ponenda est.

CICERO, *Hortensius* fr. 97M

acies	cutting edge
hebesco	I grow weak
caducus	impermanent